


Nh. 234.

TER.
NARIUS
TERNARIORVM
HEMEDICORVM
BEZOARDICORVM
LAUDANORVM.
DR. ANGELI SALÆ,
Cum
EXEGESI CHYMI-
atrica plus duplo aucta.
ANDR TENTZ.
Gr. Phil. &
M. D.



CORNELI DREBBELI,
CHEMICI & MECHANICI SUMMI,
TRACTATUS DUO:

PRIOR
DENATURA
ELEMENTORUM,

Quomodo venti, pluviae, fulgura, tonitrua, ex iis producantur, & quibus servantur usibus.

POSTERIOR
DE QUINTA ESSENTIA,

Ejus viribus, usu, & quomodo ea ex mineralibus, metallis, vegetabilibus & animalibus extrahenda.

Editi cura
JOACHIMI MORSI.

Accedit
Ejusdem Epistola ad sapientissimum Britanniae
Monarcham Iacobum,

DE PERPETVI MOBILIS
inventione.

HAMBURGI,
Impensis HENRICI CARSTENS,
M. DC. XXI,

Ra. 3.
134

Ad

*Virtute, Doctrina & genere clarissimum
virum juvenem,*

DN. JOACHIMUM MOR-
SIUM, Patricium Ham-
burgensem,

Amicum suum suavissimum,

Variorum virorum doctorum scripta
promulgantem.

M*il salve MORSI, varias quem
Musa per artes*

*Duxit in arcanis ingeniosa vijs,
Indolis instinctu caelos imitavis & auras,*

Ingenijq; cluis nobilitate tui:

*Scilicet illustras summorum scripta vi-
rorum,*

*Iecisti fama semina magna tua,
Qui nunc sunt homines, & qui nascentur
ab illis,*

Instituent dotes magnificare tuas.

CHRISTOPHORUS
SCHWANMAN-
NUS JC. Syndi-
cus Reip: Buxte-
hudenfis.

Magnifico & Consultissimo
viro,

DN. GEORGIO SCHU-
MACHERO, Reip. Lunæbur-
gensis Senatori nobi-
lissimo,

JOACHIMUS MORSIUS

Salutem & observantiam sem-
piternam.

C*Loriosissime vir,* post disces-
sum à patriâ tuâ urbe, cujus
tu PATER immortalis tuâ
cum adoreâ perpetuò appellandus,
HENRICI NOLLII nostri laudatif-
simi, quo duce primùm in ædes ami-
citiæque tuam deveni, eâ in me præ-
sentem & absentem comitate usus, ut
credam te unum me elegisse, in quo
humanitas tua vires suas experiatur &
defatiger. Quid reponam vero exi-
mio tuo affectui, mea sedulo cuncta
recensens, non reperio. Tu ob divinam
tuam constantiam, non mea merita,
propensissimo tuo in me animo pe-
rennitate adde, & firmiter statue
A 2 quod

quod hic candidus cultor tui, pro te
nihil

—pati, nullumq; recusat
Discrimen tentare sui: non dura via-
rum,

Non incerta maris. Lybia squalentis
arenas

Audebit superare pedes, madidaq; ca-
dente

Pleiade, Getulas intrabit navita syr-
tes.

Exigui at religiosi pignoris loco, obli-
gati tibi æternum mei pectoris, DREB-
BELIANOS hosce libellos, quos hac for-
mâ conjungendos suaserunt amici, se-
reno à me vultu suscipe, quorû primus
à multis jam annis à præclarissimo ejus
interprete P. LAUREMBERGIO no-
stro, honori tuo destinatus fuit, meque
porro inter *Tuos*, quos arctius amore
prosequeris, ætatem numerare perge.

VALE PROSPERITER

Ornamentum ævi nostri illustre, &
exquisitæ doctrinæ virum, I. Adol-
phum Tassium, pl: à me saluta Dab. fe-
stinanter mense Majo. Hamburgi,
Anno M. DC. XXI.

Cor-

CORNELI DREBBELI,
CHEMICI & MECHANICI
peritissimi,

TRACTATUS PRIOR

De

NATURA ELE-
MENTORUM.

Quomodo Venti, Pluvia, Ful-
gura, Tonitrua ex iis producantur,
& quibus serviant u-
sibus,

Interprete

D. PETRO LAUREM-
BERGIO, Professore in Athe-
naeo Hamburgensi.

A 3

Ad

Ad

*Virum Excellentissimum & vndequa-
que Doctissimum,*

**D. PETRUM LAUREM-
BERGIUM,**

ANAGRAMMA:

PETRUS LAUREMBERGIUS
PER ME LAUS URBI SURGET.
SEMPER LAURU TURGEBIS.
Quantum Chrysa suo laudatur Apol-
line: tanta

PER TE LAUS URBI genitali SUR-
GET & orbi.

Et velut æterno LAURUS decorata
virore est;


SIC SEMPER LAURU, & famæ
TURGEBIS honore.

D. P. A.

Amplissimo viro,

Dn. GEORGIO SCHU-
MACHERO, S.P.D.

PET: LAUREMBER-
GIUS.

 *Vod cum nummis, Prudentissi-
me Schumachere, quos sub pe-
culiari emblemate percussos in
vulgus ire curat princeps, idem a soles
fieri cum libellis, quibus viri eruditionis
& fama alicujus promotum eunt emo-
lumentum publicum rei litterariae. V-
trosq; curiosè tractamus, inspiciamus,
vertimus, & si quid memorabile præ se
ferunt legimus; quisq; etiam ad arbitri-
um genij sui interpretamur. Exemplo
esse potest (ne petam longius) opusculum
hoc Cornelij Drebbelij de Elementis, quod
solicita & diligenti manu quotusquisq;
non tractavit paucis retrò annis? Hoc
solum faciliore ejus intellectu ob stare
videbatur, quod Belgicè esset conscri-
ptum, quam Dialectum non omnes aequè
capiunt. Itaque inventus est haut ita
pridem qui eum libellum Germano habi-
tu produxit in scenam; sed infælici pror-*

A 4

sus

sius & ridiculo conatu. Nam neque sen-
tentiam auctoris assequutus est, ubi ner-
vus & ipse succus ac spiritus argumenti
delitescerat, neque omnia transtulit, ne-
que satis dilucidè aut Germanicè. Quia
tamen illius usus fructus communiter esse
credebatur in rem Philosophicam & Che-
micam dignitatis, cæpi ego, rogatus ab a-
micis, Medicis hujus civitatis excellen-
tibus, per unum aut alterum biborium
Interpretationi illius incumbere. Quod
dum facio, inveni scriptum charactere
quidem novo, novoq; auctore dispaluisse
in vulgus, sed tamen sapere nativam ge-
nerositatē antiquioris Philosophiæ: Che-
micæ quidem duo illius postrema capita
in quibus abstrusioris sapientiæ funda-
menta tam apertè deteguntur, ut & a-
gnosci & videri & palpari facile possint
ab eo, cui non prorsus frigidus obsistit
circum præcordia sanguis. Peripateticæ
verò, quidquid reliquum est argumenti
de Elementorum naturis, transmutatio-
nibus, pluviis, tonitribus, fulguribus,
ventis. Ea enim omnia ex Aristotele hu-
jusq; Interpretibus Græcis, Latinis, Bar-
baris, vel verbo tenus deducere, in pro-
clivi

clivi esse potest ei, qui istorum Heroum
scripta non nimis invisâ ignotaq; habet.

Ea tamen res non tam dedecori quam
gloria esse potest Drebbelio: non tantum
quia cum priscâ, solidâ & genuinâ Phi-
losophiâ conspirant ea quæ preponit; sed
multò magis, quia ipse ingenij sui excel-
lentiâ meditando atque experiundo af-
sequutus est id, quo multi multorum
preceptorum & librorum adminiculis u-
si, rarò atq; agrè perveniunt.

Quicquid hic meum est, Prestan-
tissime Schumachere, illud meritò atq;
officiosè tibi cupio oblatum. Jam tum ab
illo tempore, quo uterq; publicam rem a-
gentes solemnè Academia actus Rosto-
chij interessemus, in animo meo aculeum
defixit excellens illa pectoris tui genero-
sitas, reliquitq; gratam memoriam ami-
citiæ & existimationis; quam ego illa-
sam atque irruptam servabo, quamdiu
me rebus mortalium interesse patietur
divini numinis benignitas. Salve; &
hunc hominem in numero esse amico-
rum tuorum porrò patere. Dabam
properiter Hamburgi XII. Kal.

Maij. MD. C. XXI.


A 5

Cor-

CORNELI DREBBELI
IN LIBRUM

DE ELEMENTIS,
TIS,

PRÆFATIO.

Um discursus hic in manus tuas pervenerit, Amice Lector, persuasum tibi habeto, eum non in mei, sed tui solius gratiam & honorem conscriptum esse. Non enim sum nescius, quàm vana & inanis sit res, Gloria mortalium. Nonne omnes uni Deo creatori originem nostram debemus, humilem illam & sine omni fastu? Quam (de humilitate loquor) postquam propriam incuriam & nequitiam perdidimus, nihil mirum si tu mihi, atque ego tibi, alij videamur, quàm revera sumus? Itidem quod nec ego te, nec tu me penitissimè noscas! Ceterum pravitate & desidia insuper odioque habitis, si rebus bonis & ho-

& honestis exerceri ceperimus, an non
etiam in simplicitate illâ sapientes fu-
turi sumus? in humilitate & submis-
sione illâ divites? Et nunquid non tu
mihi, ego verò tibi, instar fratrum fu-
mus? Quid invenis penes te, quod non
gratis, & saltem commodatò tibi sit in-
dultum? aut quid esset in me, cur glo-
riâ memet ipsum dignarer? Væ nobis
si pluris quàm par est nos nostraque fe-
cerimus, fratremque nostrum egere il-
lis patiamur. Hæc oculos in infinitâ
DEI bonitatem conjice, quàm largâ
manu is nobis præbeat omnia, etiam
amplius quàm flagitare quis sciat.
Scrutare animi tui divitias. Regem te
invenies præstantissimi hujus à DEO
creati opificii. Et annon omnes orbis
opes tibi ancillantur? Etiam cum o-
lim has post te es relicturus, nonne
protinus te beabit Deus dono longè
præcellentiori, immarcessibili coronâ
æternæ vitæ? cur ergò non amas hæc,
quemadmodum à Deo tu ipse amaris?
Rudem & ignarum me dicis. Nonne
tu longè rudior fuisti quondam? Ego
egenus

egenus sum & inops rerum ? Annon
tu sine Deo tuo longè majori inopiâ
premeris ? Cur igitur me nec erudis,
nec juvas, tu qui tot donis & beneficiis,
à Deo affectus incedis ? Odionè eâ
gratiâ te prosequar ? Absit id à me.
Nam quando me intuerer, te inveni
in me ipso. Menè ergò majori quàm
te gloriâ censerem dignum ? Nequa-
quam, frater, quia ego consimiliter
me habeo utitu. Cur igitur me effer-
rem magnificè ? Quin potius humili-
tati studens omnis gloriæ vanitatem
conabor contemnere. Estnè quidquã
quo gloriari verè possimus præterquã
Deo, qui tantoperè nos diligit ? Sinè
quo annon miserrimi essemus ? Qui in
hoc mundo gloriæ inhiant aut hono-
ri, annon Deo illi excidunt, in quo so-
lo omnis gloriæ plenitudo ? Econtrà
qui gaudent humilitate, nonnè & ho-
noris & divitiarum participes evadunt
Deo indulgente ? Hoc ipsum expertus
sum, tum cum humilem me gessi &
demissum ; Et in gloriam cedebat
m. hi mea miseria ; Miseria in mortis
acu-

aculeū: Mors in victoriam: Victoria
repat immortalis mea anima: Anima,
veræ divitiæ, Divitiæ Deus Opt. Max.
abs quo & per quem est, quicquid fuit,
quicquid est: Et ad quem omnia ceu
finem festinant. Jam ut gratos nos
præstemus, quidnam factu opus erit?
Myrrhamnè aut thura incendemus?
Circumcidemus præputia? Capillos
rademus? Suggestum nostrum adtol-
lemus altius, & atris aut albis vestibus
induti concionabimur? An illos, qui
Dei cognitione destituuntur, ferro
flammisque eradicabimus? an decan-
taturi Dei laudes? an denique magna
scripturi librorum volumina ut æter-
nam nobis paremus famam? Omnia
frater, splendida vanitas. Quo quæso
Deum donabimus, cuius propria sunt
omnia, qui omnium possessor, qui su-
am per omnia gloriam famamq; spar-
sit, etiam amplius quam mens nostra
capere queat? Quid ergo facturi? Gra-
tis certè nobis esse convenit, & à filio
Dei discere humilitatem, legisq; illud
compendium, Inprimis Deum dilige,
& pro-

boop

& proximum sicut te ipsum. Hæc doctrina est Apostolorum & Prophetarum: Imò Deus per naturam eadem nos docuit, nè secundâ morte ququam interiret.

Porro cum animo mecum perpendi quàm miserè hominem ad pessimâ quæque seducat desidia, viamque illi intercludat quo minus intelligere valeat DOCTRINAM NATURAM: cum itidem viderem quàm magnos sæpè labores impenderent mortales rebus vel parvis, vel nullius momenti, tum profectò magnifacere & amare cepi DOCTRINAM NATURAM; Deumque perfectè agnoscere ex creaturis, quas non sinè admiratione & stupore animi intuebar. Pervolvere verò cepi elementa, quæ mihi quasi digito monstrabant Telluris naturam, cujus Spiritum chrySTALLINUM in modum nebulæ alicujus contemplantur, animam verò tinctam quasi sanguine, corpus deniq; eiusdem stabile atque indomitum instar chrySTALLI. Heic cernere erat spiritum militantem adversus corpus, quod

quod cum tandem superasset, ex am-
bobus factum fuit V N V M. Corpus
serviebat animæ, eratque illi pro sta-
bili domicilio. Spiritus sublevabat cor-
pus & animam non secus ac cœlum
ChrySTALLINUM; Anima ornamentum
addebat tum spiritui, tum corpori ca-
lore suo roseo, & ferèdicam cœlesti.
Hic interitum, resurrectionem, atque
immortalitatem oculis meis notabam:
Vnde non poteram non gratus esse er-
ga creatorem meum, & magis magis-
que amare sapientissimam naturam.
Mox etiam constitui in tui gratiam,
Lector, omnia hæc litteris consigna-
re, si qua fors inde utilitas redundaret
in tuum commodum, tuque ita ab in-
utilibus exercitiis substraherere. Spero
non contemptum iri abs te hoc quic-
quid est, neque vitio mihi te versurum,
quod scripturam hanc priscorum
Philosophorum auctoritate non mu-
niverim. Nullum, ut verè dicam, nec
legi, nec consului super hæc re. Saltem
ea tibi communico, quæ ipse à naturâ
hausi atque accepi. Tu certò crede,
mon.

monstrari tibi atque obferri id à me,
quod multos latuit hactenus: quod
tamen ipsum, nisi meam probè men-
tem intellexeris, etiam ipse haut qua-
quam scies, quibus destinatum sit usi-
bus. Propter imprudentem tuam pe-
titionem silentio id ipsum involvere
cogor, ne ipsimet mihi creem pericu-
lum. Cæterum cum ex corporis mei
ergastulo emigraverit anima, tum in
apricum plenamque lucem deducen-
tur omnia. Nihil novi profiteor. Id
de quo dissero ante plus quam decem
secula jam extitit. Scribam igitur de
elementis vulgaribus: Siquidem hæc
tibi optimè nota sunt; ut ita ad peni-
torem intellectum devenias Reliquia-
rum, istud est, Elementi Telluris. Nec
enim tellus tam simplici constat Na-
turâ, quam Ignis, Aer, Aqua, sed impu-
ra est, quasi cæterorum excrementum.
Repperimus, inquam, in Terrâ, Ter-
ræque creaturis reliquis, plenè ac per-
fectè quatuor Elementaria corpora,
quorum ope, opus nostrum perficere
cogimur. Ignis, Aer, Aqua, famuli
sunt

sunt Terræ, Ignis in aërem agit; Hic
in aquam; Hæc in Terram. Omnes
simul terram certis locis humectant,
quemadmodum prolixius post de-
monstrabimus, exorsuri Deo bene fa-
vente à primo opere creationis; quam
commonstrabimus, quo ad ocu-
lis eam videre, & mente ca-
pere licet.



B

CAPUT

CAPUT I.

Mnium rerum origo ex Deo est: atque ad Deum rursus, ceu finem, tendunt omnia. Finis enim cuiusque idem est ejusdem principium uti testatur quotidiana experientia. Quod e terra pullulat, ad terram revertitur, quod ex aqua ad aqua: Quicquid est, id initio perfectissimum fuit apud Deum, atque olim itidem ad eandem perfectionem revertitur, tum cum Elementa colliquescent, & pristinum induent splendorem coram Deo. Nihil ibi perditum ibitur praeter iniustitiam. Deus enim exacta temporis plenitudine, quando illi complacuit, cunctarum rerum naturas verbo produxit. Initio quidem, id quod erat subtilissimum, secrevit a caetera massa, factumque est ignis Elementum, occupatis supremam Mundi sedem, repplens infinitum istud alioquin vacuum futurum spacium: circumdans Dei magnifica opera. Scilicet quicquid levissimum est, id sursum ad-

adscendit. Jam Deus iterum ab ista
massâ separans id quod levius, quodq;
subtilius, effecit Elementum aëris, cu-
jus locus proximè sub levissimo igni.
Consimiliratione & à reliquiis sejun-
xit partem subtiliorem humidiorē-
que, atque efformavit cum Tellure a-
quam. Aqua verò integram Terræ fa-
ciem obtegebat haut secus ac ignis aë-
rem, aër aquam. Cæterum omnipo-
tens Dei virtus, terras aquis immerfas
extulit in altum, nosque in eadem
collocavit, ut eò perfectius contem-
plaremur splendorem & viternæ suæ lu-
cis, ac se amaremus, quippè qui perfe-
ctissimi eramus creati. Sic quadripar-
titò divisit Deus opera sua in Ignem,
Aërem, Aquam, Terram. Unum-
quodque horum suis virtutibus est in-
signitum, pro modulo & ratione pro-
pria subtilitatis. Ignis reliqua ante-
cellit, vim obtinens excellentiorē, quā
cæteris splendorem impertiri potest
suo splendori æmulum. Nihil est cui
ille vitam nō largiatur. Sine illo mor-
tua sunt pleraque, ut quottidiè, maxi-
mè

mè tamen hyeme experimur: Intuè-
re hoc Elementum, quàm operosè il-
lustret aërem! huncque ad similem
claritatem perducatur, omnes ex eo di-
spellens tenebras: Ita restatum facit
quantâ ante obscuritate oppressus fue-
rit aer. Insuper ab omni humore ex-
crementitio fumisque terrenis eun-
dem expurgat. Immunem quoque red-
dit à crassitie, facitque ut subtilitate so-
lidissima quæque possit penetrare. Ut
paucis dicam, similem sibi undiquaque
reddit aërem Ignis, ut etiam vix ullum
inter utraque discrimen deprehendas.
Exemplo & argumento est ignis no-
ster culinaris, qui ligno aut cespitibus
siccis enutritur, magnâ vi colligit &
quasi sugendo attrahit ad se aërem:
eum nitidum, purum, lucentem red-
dit, sibi que assimilatur penitus: Quod i-
psam tam avidè tamque impensè fa-
cit, ut si fortè intercludatur, subtracto
& intercepto aëre (id est quoties suf-
focari eum contingit) mox intermo-
riatur ac tenues evanescat in auras, q̄
profectò notatu est dignissimum: O-
stendit enim quàm studiosè Dei crea-
turæ

turæ suas exsequatur functiones; quàm
sedulo operentur, quo ad quod agant,
habent, quoque plus invenerint, eò
agant melius, si nihil illis fuerit impe-
dimento: ut heic etiam nos probè no-
stro fungamur officio, Deumque crea-
torem ac Dei dona in nobis sine invi-
diâ, sineque impedimento permitta-
mus operari, ut ex unâ luce promove-
amur in aliam, puriores, illustrioresq;
redditi divinæ lucis radiis.

CAPUT II.

CÆterum haut aliter atque in aë-
rem agit ignis, ita quoque in a-
quam & Terram, uti in cespitibus ex-
succis ac lignis aridis cernimus; quæ nõ
minus quàm aer illustrata & splendida
evadunt: Nonne vides quàm atri sint
carbones extra ignem? quàm clari sint
quàm lucentes in igne, nõ minus quàm
ignis ipse. Tantum illis splendorem
ignis impertit, ut etiam in formam
penitus diversam transformetur: Tum
revertuntur ad pristinam suam natu-
ram

ram. Etiam cinis ipse non renuit tan-
dem mutari in substantiam vitro non
dissimilem, ac postremo invisibilem.
Fortassis dixeris fieri non posse ut a-
qua ex eadem materiâ oriunda sit, quâ
ignis: siquidem necessum, ut quæ ita
se habent, illa aliquam acceperint si-
militudinem cum re ex quâ sunt geni-
ta, quod de igni nemo dixerit. Nullo
enim pacto aqua pura & splendida red-
di potest beneficio ignis. Respondeo:
Duo contraria nunquam uniri aut
conspirare posse sine interventu mediij
alicujus. Enimverò postquam crea-
tor partem subtiliorem, splendidiorē,
sicciorem, calidiorē secrevisset à pri-
mâ creationis massâ (quam Chaos di-
cimus) jam mox contrarium illius i-
tidem emerfit, scilicet Ens crassius, ob-
scurius, humidius, frigidius, quod fuit
aquæ & terræ elementum. Aquæ verò
ista humiditas temperatur aëris terræ-
que siccitate: Itidem crassitudo &
siccitas terræ, subtilitate aëris, humidi-
tate aquæ. Hinc vides nihil posse uni-
ri sine mediij alicuius beneficio. Neque
igi-

igitur aqua cum igne cōponi poterit,
destitutâ aëris subtilitate, terræq; ficci-
tate, quæ quidem mixtio in aquâ vitæ
aut oleo elucet, sicq; igni copulatur.
O profunda sapientia! quàm abscondi-
ta sunt opera tua! quàm excellētes tuæ
creaturæ! Quis tibi nō adtribueret de-
bitam gloriam, cui saltem aliqua, scin-
tillula elucescit *Ἡς γνώσεως τῆς Φύ-
σεως!* Quis non admiretur creaturas,
quas tam admirandas intuetur? Quî
fieri potest, ô homo, ut miracula Dei si-
ne admiratione contemplare? Cur vi-
dens occæcaris. Cur opera Dei nō per-
vestigas, non laudas quoties vides pri-
mævam illam substantiam, primâ Re-
rum omnium materiam, in quâ ignis,
Aër, Aqua, Terra resplendent consimili
perfectione, quâ principio creata fuere
apud Deum? Observa amabo, secre-
tionem quatuor Elementorum: I-
gnis spiritus sursum evolat, secum au-
ferens aërem, aquam, terram, quæ
frigore aëris condensata sui similia pe-
tunt, ea, inquam, ex quibus fuerunt
producta. Olei humor, quæ aqua
est, in nebulam transmutatur; rursus

decidit guttatim. Terra instar fumū
ascendit, deciditque nigricans. Aer à
semetipso excipitur. Quis huius mira-
culi rationem edisserens laudum divi-
narum poterit oblivisci? Sic constat,
lector amice, unum ignem vitam esse
omnium, omnia illustrare ac deducere
ad eum splendorem, quem ab initio il-
li concesserant Deus, seu aër fit, seu a-
qua, seu Terra, non tamen id absque
medio. Aquæ enim crassitiem aëris
subtilitate adtemperari necessum est;
eiusdemque humiditatem siccitate tel-
luris: Tum denique paratam habebis
materiam, quæ lucida **VIVIDAEQUE**
reddi potest beneficio ignis. Sed plura
de his dici possent, quæ brevitatis stu-
dio prætermittenda, ut eò citius ad rem
propositam deducamur.

CAPUT III.

A Ge ergo, lector, investigemus jam
aëris virtutes, juxtaque & cæte-
rorum Elementorum. Veluti tria Ele-
menta sine igne mortua sunt, sic & i-
gnis

ignis sine tribus cæteris. Hinc Dei sapientiam admirari disce, quæ nihil frustraneum fecit. Namq; ut ignis vita ipsa est; vivit verò in aère, haut secus in igne vivit aër, aqua in Tellure, tellus in aqua. Ignis aërem perpurgat, aër aquã, aqua terram, unumquodq; sibi suoq; splendore adsimilat alterum. Nonne vides æstivo tempore ut aqua à Sole in aërem attrahatur, perq; aërem clarior fiat & subtilior: ita ut inter aquam & aërem velexiguum vel nullum sentiantur discrimen? Exemplo est aqua solis radiis exposita, quæ sensim evanescit attracta à Sole & subtilior reddita; modo frigus eandem non constipet. Calor enim ignis, quemadmodum omnia subtilia & pura reddit, ita ex adverso frigus igni contrarium omnia condensat, constringit, aquamq; quasi comprimit, resistens calori ignis, & aëris subtilitati. Hęc causa est, propter quam aqua rursus in guttas concreta decidit, quæ guttæ à tellure absorptæ nutrimentum fiunt rerum ex Elementis ortarum; adeoq; penetrant ad radicem usque feminis;

B 5

minis;

minis: Verum virtute & efficaciam solis
denuo emergentes ad extremas plan-
tarum particulas destituunt spiritus
aut nutritionem telluris, quae eiusdem
solis calore transmutari consuevit in
substantiam cuiusque rei propriam: Hoc
pacto aluntur augenturque continua a-
que attractione, quo ipso nobis aperto
monstratur & ordo aptissimus & sapi-
entia nostri creatoris. Quod si frigus
fuerit vehementius, mox coagulatur
aqua, atque terrae formam induit. Jam
licuti frigus, proprium terrae opus, a-
quam condensat, suam illi & crassitiam
imprimens & duritiem: Consimiliter
aer ignem condensat, si illius frigidi-
tas huius calorem superaverit. Ignis in
aerem mutatur, aer in aquam, aqua in
terram, ut ante fuit demonstratum.
Res digna admiratione, quaeque firmissi-
me demonstrat id, quod ante monui-
mus de separatione primae materiae.
Namque ut ex primitis creatam massam
Deus secrevit Elementa: ita eadem
beneficio nostri ignis (qui tanquam
umbra primi entis) reducuntur ad
pristinam suam essentiam, id quod tam-
pas

pas accensa, imò omne ustile corpus ad
oculum demonstrat: Nam quamprimum
accensum fuerit oleum, mox flammæ
virtute id ita illustratur, ut inter o-
leum flammamq; nulla maneat diffe-
rentia. Quin oleum fit flamma, & flam-
ma oleum: Oleumq; flammam per-
meat; non tamen multò post à frigore
(ignis contrario) in pristinam Ele-
menti formam restituitur, ut non ita
pridem dixi. Quapropter qui pensu-
latius flammæ naturam ruminabit, is
non tantum animadvertet reductio-
nem & restitutionem Elementorum
in pristinam integritatem, verum et-
iam secretionem eorundem ex mate-
riâ primâ: quod ipsum omnem supe-
rat admirationem, notatuque est di-
gnissimum. Sed de his aliàs.

CAPUT IV.

Silla quæ superius narravimus, pro-
bè perpenderis, probeque intelle-
xeris, fieri nequit, quin perfectè noris
causam

causam ventorum, Tonitruum, Fulgurum. Quoties radii solis sine obstaculis aërem, aquamq; penetrant, atq; excalfaciunt, aër in ignis naturam convertitur, aqua in aërem, unde emergit perpetua quædam commotio, expandens sese undiq;, circûdans universam terræ faciem, atq; humectans. Cæterû aqua hâc ratione subtilis facta, cû aërem calidiusculum penetrans ad frigidiorè & crassiorem pertingit, iterû comprimitur, condensatur, imminuitur, reditq; ad antiquum suum ingenium, id est, aquæ naturâ, deorsum guttatim ruens: quem lapsum necessario tranquillitas sequitur, sicuti pluviarum tempore experimur: nisi fortè vapor ac aquæ continuus ille adscensus ulterius institerit majori copiâ & impetu, quàm aër frigidus potest condensare. Ut calor tum aërem, tum aquam, subtiliora, rariora, majora reddit: Ita frigus caloris contrarium eadem cassiora, densiora, minorâ: hâc lege attrahens rursus ventos, qui caloris virtute evanuerant. Id oculis & manu palpabimus, si Cornutæ

nutæ vacuæ ore frigidæ aquæ impo-
fito, ventrem igni superposueris, a-
ctutum videbis, ubi primulum cal-
factum fuerit vitri corpus, egressuros
ore illius non sine strepitu, flatus qui in
bullas concitabunt aquam, idq; eó im-
pensius, quò aër incaluerit magis. Re-
moto ab igni vitro, cum aër frigescat,
mox in se coibit crassiorq; fiet, & pro-
indè minor, vitrumq; aquâ opplebitur
illâ sui parte, quam antea aër calfactus
& expansus occupaverat. Si sine ruptu-
ræ periculo vitrum summè calfacere
posses, parum aberit, quin plenum fu-
turum sit aquâ dum refrigerat. Hanc
calfactionem melius quidè ferret Cor-
nuta figulina, sed in vitreâ ad quod dixi,
perfectius visu notari potest. Porro
quantò aqua aëre gravior, crassiorque
est, tanto amplius caloris vi diffundi-
tur, magisq; grandescit, inò millecu-
plò amplius. Exemplum hujus rei etiâ
pomum coctum suppeditat, ex quo fla-
tus erumpentes audimus, nihil tamen
(si sensus consulas) diminuto humore
intus concluso. Itidem sphaera aeneâ
intus

intus cava, cuius aliquod latus foramen
habeat. Si hæc incalescat validè, per-
que foramen aquæ gutta instilletur,
statim ea augebitur, & instar venti ef-
flabit ex sphaerâ.

CAPUT V.

CUM ingruente vesperâ aquæ at-
tractio, & ut sic dicam, dissolutio
imminuitur rursus, sole nimirum pau-
latim occidente, ut plurimum placi-
dum & sudum fit cœlum; quanquam
vix unquam hæc cesset attractio, nisi
fortè aquæ gelu constrictâ: quemad-
modum videmus, cum vas aquâ opple-
tum in coenaculo adservatur. Post ali-
quot dies diminutam inveniemus a-
quæ quantitatem, idq; eò quod coena-
culi aër non nihil calidior, quàm aqua.
Ast verò quod quandoq; sub vesperam
nulla à nobis deprehendatur aëris trā-
quillitas, caussa est, quia longius remo-
ti sumus ab illis locis, in quibus aër at-
que aqua resolvuntur. Ventus enim
seu aër agitato heic insequitur conti-
nuò,

huo, cujus rei documentum capere li-
cet ex sono in distitis locis facto, quem
longo post tempore solummodo per-
cipimus, quam revera factus fuit. Hac
de causa, quantumvis cesset valida illa
commotio a sole occaso, nos tamen
hautquaquam id persentiscimus tam
subito, ob insequentem continuo aeris
commotionem, ideoque flante uno
vento majorem sentimus tranquilli-
tatem, quam altero, pro locorum &
regionum diversitate. Quod si propè
absimus a praedictis locis, non possu-
mus non frui aere tranquillo & placi-
do, veluti jam est demonstratum. Eve-
nit quandoque quod statis anni tem-
poribus copiosae & frequentes decidant
pluviae; mensibus scilicet Martio, Apri-
li, Maio, Septembri, Octobri, No-
vembri: Ejus rei ratio ex antepo-
sitis fundamentis facile intelligitur.
Tum enim in medio versamur ca-
loris & frigoris. Neque possunt va-
gabundae nubes attenuari praeter de-
fectu caloris; Sed commodissime

ver-

vertuntur in guttulas, moxq; decidunt.
Atque hinc etiam illud est, quod frigidis hisce in oris, mediâ intempestaque hyeme, pluviarum crebris inundationibus haut affligamur tãtoperè. Quippe sublatae nubes protenus circumventae aëre frigido, decidunt priusquam ad mediam perveniât regionem aëris: nisi fortè tam copiosae, crebraeq; fuerint exhalationes, ut multitudine, continuoq; & incessante ascensu, accedente insuper austri flatu, infringant, vincantq; demum infimi aëris frigus: Non raro quoq; valido vento feruntur alio, & cito volatu loca hæc prætereunt, tandemq; vi frigoris concresecunt in nivè.
Hæc fundamenta ex ipsis naturæ penetrabilibus petita, si probè rumines & consideres, lector quisquis es, non poteris non perfectè & exactè intelligere, quidquid tibi de ventorum naturâ cognoscendum obferetur; multò etiam melius, quàm ego verbis aut litteris queam explicare. Hæc non alio fine prolixius à me sunt demonstrata, quàm ut fundamenta propositæ doctrinæ intelligas, eaq; quæ uberius cognitionis gratiâ jam jam sum adjuncturus: Ca-

CAPUT VI.

Hic jam quæret aliquis, quæ ergo
fiat, quod æstivo cœlo sæpius-
culè ventum è nubibus profi-
lientem sentiamus, non item ex locis
illis, in quibus facta fuit aquæ resolutæ
attenuatio & attractio? Annon hoc i-
psum pugnet cum iis quæ paulò antè e-
docta? Tantum abest, ut ulla hîc spe-
ctetur contrarietas, ut potius eò ipsò vè-
ritas traditæ doctrinæ impendiò ma-
gis elucescat. Enimverò postquam sol
attenuatam, & in vapores conversam
aquam sustulit in altum mediumque
usq; aërem, tum illi ipsi vapores non-
nihil addēsati frigore, deorsum ruunt,
instar crassioris nebulæ, donicum etiã
contingant aërem infimum, calore
perfusum undiq; ; Is aër calidus iterum
resolvit attenuatq; vapores, à quibus i-
pse vicissim pressus, atq; agitated, ven-
torum causam subministrat. Haut a-
liter egelidus crassusq; aër superficiem
terræ proximè circumstans ab irruen-
tibus densis frigidisq; nebulis & ipse
C cras-

crassescit; mox aliò delatus, extendi-
tur iterum, fitq; subtilior, undè vento-
rum adaugetur materia, & quaqu-
vorsum expanditur; sæpè etiam nubes
adversis frontibus quasi concurrunt.
Namq; frigidus densusq; aer iursum
pellit calidiorè, usq; ad loca mediæ
regionis frigida; ubi is crassescens, à vi-
cinarum nubium frigore, denuò petit
loca infera; denuòq; calore horum re-
solvitur, attenuatur, & à globi terrestri
superficie avolat. Hæc facie veniunt
abeuntq; & variè vagantur venti, ven-
tilantes tellurem, & frigefacientes in-
feriorem hanc mundi coloniam, ex sa-
pientissimo & optimo Dei decreto. Vi-
des quomodo sentiamus ventorum fla-
tum ex illâ prodire aeris parte, in quâ
vehuntur densæ, obscuræq; nubes. Ita
æstate mediâ, sicubi surgentem obser-
vamus nebulam crassiusculam propè
Noto-lybicum, haut multò post flatu-
rum suspicamur & experimur No-
to-lybicum; mox Zephyrum, aut
Borrholybicum; atque ita pro nebu-
larum ascendentiis diversâ origi-
ne,

ne, & solo natali, diversos expectare
habemus ventos. Vides præterea etiam
causam quare non raro tam vehemen-
tes spirent venti? quare in Hol-
landiâ, vicinisque provinciis subsola-
nus, aut Notoapeliotes tam pertina-
ces, diurnasque pluvias secum fe-
rant? quare Zephyrus aut Borrholybi-
cus tam varius sit & mutabilis? Inter-
dum vehementissimo impetu: inter-
dum leves effundens pluvias: mox
tranquillus iterum; mox resumens
pristinam vehementiam? Cur in Re-
gionum soli propinquare locis ma-
ritimis, ante meridiano diurnoque tem-
pore ventus è mari spiret? Vespere no-
ctuque è mediterraneis? Horum o-
mnium effectuum causas è natura pe-
tita exponere mihi in proclivi esset,
nisi scirem, eum, qui hætenus proposi-
ta, probè intelligit, sine omni molestia
suo Marte ad perfectam eorundem co-
gnitionem perventurum. Nunc porro
à ventis imus ad tonitrua &
fulgura.

C 1

CA

CAPUT VII.

Quando tonitrua & fulgura e-
veniunt, aër longè est siccissi-
mus, calidissimus: Aqua verò
virtute radiorum solarium rarefacta
facessit in naturam aëris, & in sublime
acta, procul à terræ globo condensatur,
concrescitq; frigore, & in angustum
coacta iterum assumit indolem pristi-
nam: tum porrò specie nebulæ deor-
sum vorsum properans, cispellitur ab
aëre frigido versus aërem calidum, sic-
cum subtilemque, qui ocyus pervadens
crassam illam nubem, rarefacit, atque
ad summam perducit subtilitatem, re-
ducitq; ad naturam aëris. Itaq; dum
corpus illud momento extenditur, &
vel sexcentuplo fit majus, postulatque
locum ampliorem, necessario evenit
horrenda quædam agitatio, commo-
tio, quâ exhalatio accensa cum frago-
re & strepitu emergit, donec tandem
adipiscatur spacium quantitatis suæ æ-
quale, tum demum cessat omnis vio-
lencia. Exemplum habemus in nitro,
quod

quod Volcani violentia disruptum,
dissolutumq; induit naturam aëris. I-
dem experieris, si vel linteo benè ma-
defacto, vel manu frigidam asperferis
liquido plumbo, aut candenti ferro;
ea aqua caloris vehementiâ attenuata,
versa q; in aërem, sonum edit tonitri-
bus haut dissimilem. Neq; aliud est,
quum crebro ictu ex silice & chabile e-
licimus ignem, disruptâ durâ silicis sub-
stantiâ, causâ scilicet scintillâti splē-
doris. Cæterum quando superstites nu-
bes prætervehuntur loca ea, quæ à to-
nitru, aut nubibus resolutis, sunt frige
facta, iterumq; attingunt aërem cali-
dum, tum hic illas iterum permeat, &
quaquaversum pervadit, (ascendere
quippe semper nititur veluti & ignis)
deniq; dissolvit, attenuat transmutat-
que in substantiam sibi similem, id est
aërem, quemadmodum jam jam do-
cuimus. Hinc tam diversa audiuntur
fulmina, per omnes eas aëris partes,
quæ olim à solis radiis insigniter calfa-
ctæ, postmodum iterum refri-

xerunt.

C. 3

Caput

CAPUT VIII.

HX his omnibus luce meridianâ
clarius cernimus, quàm pater-
nè Naturæ auctor per naturam
nos erudiat, incitetque agnitionem at-
que amorem sapietiae, bonitatis, atque
omnipotentiae suae. Intuemini, sultis,
optimum atque admirabilem ordinem,
qui in omnibus rebus, si accuratè dispi-
ciamus, elucet. Cogitate quàm miri-
ficâ ratione (veluti superius audivistis)
crassum illud aquæ corpus à sole invisi-
biliter sublatum in altum, mutetur in
latè diffusum aerem, quâ origine nasci-
tur mobilium ventorum numerosa
propago. Sic rarefacta eadem aqua
huc illuc agitatur, eoque delata, quò
ob maris, stagnorum & fluminum de-
fectum nulli transmittuntur vapores,
tum præterea fervore solis sursum a-
cta ad frigidam aëris provinciam pro-
cul à terrâ & hujus calore, quàm miri-
ficè iterum condensetur, cogaturque
in nubem: (quod etiam à nocturno fit
frigore) quo nomine ingruente nocte
ut plu-

ut plurimum tranquillus redditur aër,
nebulosus tamen & crassus; quæ nebu-
læ in guttulas concresecunt postmo-
dum: Ita sitiens terra beneficio roris
inebriatur; inque eo quasi putrescens
liquefcit, tum porro duo hæc conjun-
cta totam plantæ substantiam perva-
dunt; sed quia solis virtute liquidus a-
quæ humor ad extremitates usq; plan-
tarum attrahitur, isque suâ naturâ
subtilior & levior quàm terrestris por-
tio nutritioni destinata, hinc fit quod
liquor attenuatus facessit in aërem re-
lieto plantis terreo nutrimento, quod
eæ ingenitâ suâ potestate & vitâ con-
vertunt in substantiam, sibi similem.
Atque hæc est una alimonia omnium
è terrâ nascentium, omniumq; vivē-
tium corporum; Hæc causa quod o-
mnia post putrefactionem ad terram
revertantur, experimento quidem in-
dubio, sed q̄ vix millesimus quisque vel
intelligit, vel rectè perpedit. Si hæc sua
bona nossent Hermetici nostri, nõ pol-
tâ anxio conatu tantâq; sollicitudine
anquireret primâ sui operis materiam.

Eæ verò ipsæ, quas dixi nebulæ, si sursum latae inciderint in loca apprimè calida, tum demum tonitrua & fulgura producunt celeri illâ & quasi momentaneâ substantiæ dilatione; sæpè etiam ventos. Quod si mediocris solum fuerit æris téperies, & paulò quàm nebulæ calidior, nihil, præter modestas pluvias, ventosq; gignitur, quemadmodum hæctenus prolixè fuit explicatum.

CAPUT IX.

Videor huc usque fatis & super inquisivisse in genuinos usus & officia quatuor Elementorum Ignis, Aëris, Aquæ & Terræ; non alio consilio quàm ut quisq; probè intelligat, quid sit unumquodq; illorum, quanta & quàm admirabilis sit Naturæ efficacia. Nunc omnium facimus huiusmodi cõpendium. Ignis nihil est aliud, quàm subtilis aër; Aër est subtilis aqua: Aqua est subtilis terra: Terra crassus ignis, quemadmodum evidenter demonstrant superius adducta exèpla. Enim-
verò

verò terra, seu vi ignis, seu naturæ in-
genitâ efficaciâ, resoluta, transmuta-
tur in aquam, fitq; sal & quædam terræ
virtus, cuius rei perfectum argumentû
præbet calcinatio: Sal ipsum igni dissol-
lutû mutatur in aquâ, veluti videre est
ex destillatione aquarû fortium: Aqua
porrò vi ignis soluta fit aër, aër fit ignis,
ut jam ante dictû. Hoc pacto crassa ob-
scuraq; terra convertitur in subtilissi-
mum, pellucidissimum, splendidissimû
igné, qui non solum penetrat, illustrat-
que omnia, sed & facit, ut ipsa penetrâ-
di, illustrâdiq; potestatem nanciscantur.

CAPUT X.

Inc illud deducimus, ad eun-
dem modû, præter Elementa,
etiam omnia quæ ex Elemen-
tis concreta sunt clarificari oportere,
tam mineralia & animalia, quàm ve-
getabilia, Si quod horum animus est ad
claritatem & splendorem deducere, nõ
licet id aliâ quàm præmonstratâ ratio-
ne expedire. Terræ corpus clarificandû
est per ignem, reddendumq; simile ipsi
aquæ, sicq; fiet quasi sal, qui sal postmo-

C 5

dum

dum destillando potest clarificari, & in aquam converti, prorsus ad similitudinem aëris omni impuritate destitutam, pellucidam instar Chrystalli, diaphanam instar aëris, splendentem instar ignis. Hæc nobis sufficiant: neq; quæramus anxie nobiliorem aut exactiorem perfectionem; Quippe non licet nobis asservare spiritus invisibiles, nisi sub visibili specie; quin protenus eos perdamus. Simul ac in clarissimam aquam facta est transmutatio, tū proxima est conversio in aërem, accedente scilicet destillatione, & mox superveniente atque condensante frigore, iterum in aquam vel aspectu ipso corpoream. Verum si idem ad igneam claritatem promovere studuerimus, non poterit frigore nisi in aërem condensari, quem quo pacto tractabis? quomodo eo uteris? utpote qui supremus est rerum omnium visibilium, adq; nostrū opus prorsus ineptus. Satis igitur nobis esto, si ad aërē usq; pertingamus clarificando, qui frigore concrevens in aquam, nō gestit perfici ulterius. Quicquid

quid enim ad extremam educitur per-
fectionē, id nec generat, nec multipli-
cat. Cæterum postquam jam terram,
per destillationem permutavimus in
limpidissimam, splendidissimam, cla-
rissimam aquam, aut oleum, aut quo-
modocunque nominare volueris, tum
porrò hæc seminatur spermate nostri
corporis, quod inibi computrescit, tã-
demq; acquirit, splendorem ac perfe-
ctionem similem. Sic itaque facimus ex
aquâ terram, virtute Ignis, & progressi,
sequutique ductum naturæ, terram ci-
neritiam dealbamus, nitidamque &
lucidam reddimus quasi aërem: sed ta-
men specie aspectabili: Ulterius ean-
dem ab aëris formâ promovemus ad
perfectionem Ignis, curamusq; ut fiat
prædita splendore, nitore, puritate & ru-
bedine, qualis Rubino inesse solet. Ita
superabit excellētis & pfectione omnes
res corporeas. At verò si purissimū hunc
Ignē ad pleniorē perfectionis gradū de-
ducere studueris, necessum erit, ut is re-
vertatur ad pristinā naturam beneficio
aquæ jam laudatæ, quo fieri possit
gene-

generatio; quam procurabis, ex spermate benè mundato, perfectissimo (in calore scilicet & frigore, cujus vis ignea foris, humida intus) in ipsâ illâ aquâ, cujus humecta vis foris, sicca intus; opitulante naturâ, & seipsam magis magisq; perficiente. Eâ repetitione & labore sæpius iterato, materia nostra tantam adipiscitur puritatem, tam penetrantem subtilitatem, ut nec dici nec cogitari possit; ut etiam quævis vasa transvolet, nec ulla ratione servari, ut non perdat, possit.

CAPUT XI.

Dubitabit hîc & quæret ex me non nemo, quî fieri possit, ut tam exquisitâ & suspiciendâ perfectione per artem donari queat ullum corpus? num non unumquodque gignat sui simile? rarissimè aliquantò nobilius, ut plurimum etiam deterius? ecquid ne in nostrâ potestate sit, beneficio ignis plenius perficere corp9, quam Deus ipse velit, aut possit per clarissimum splendorem solis? Responsum

VO-

lumus multò aliam esse rationem nostræ clarificationis. Nos enim capimus corpora, quæ jam antè Deus & natura perfecerunt, eaque porrò nostrâ aquâ & igni clarificamus; reddimus Chry-
stallo æmula; liberamus à sordibus & inquinamentis, quæ iis natura reliquerat; brevitet, reducimus in speciem aquæ, in cuius intimis penetralibus delitescit potestas Terræ, in quam, ut dixi, indimus postmodum semen nostri corporis, idq; per eam aquam mundamus, alterumq; alteri quoad claritatem, simile efficimus, quod ipsum per naturam solam absq; arte non evenit. Omnia verò, quam ab initio acceperant à Deo, speciem, eam sibi semper retinent. Et semen quum in aquam proiicitur, non accipit à terrâ suâ claritatem, sed terra à semine clarificatur, coquiturq; vitali virtute, quâ semen pollet. Terra enim semine multò impurior. Seminis essentialis perfectio eadem semper perseverat, immundamque & crassam terram tingit, id est in suam indolem & naturam convertit.

Hæc

Hæc sunt, amice lector & frater, quæ
de naturâ commentari & tecum com-
municare constitueram, quorum o-
mnium meæ ipsius manus periculum
& experimenta fecerunt. Volui verò
Elementorum indolem & affectiones
præcipuè describere, quia nihil reperi,
quod me apertiori & tutiori semitâ de-
duceret ad cognitionem Dei creatoris.
Elementa sunt habitaculum universæ
naturæ, absque quibus naturam nemo
cognoscet: In iis & ex iis nutrimur
& sustentamur. Ea si ignoraverimus,
ignorare nos oportet & nosmet ipsos,
& totam naturam. Qui Elementa no-
visse didicit, is Deum didicit, & se i-
psam & naturam, absque quâ nemo
intelligit, nemo verè amat, Creato-
ris omnipotentiam, sapientiam, bo-
nitatem. Nihil DEum esse tam e-
videnter testatur atque natura. Nos
verò ad imaginem Dei conditi sumus,
ut harum rerum ad miniculo agnosce-
remus divinas dotes, quas nobis tam
largiter & prolixè indulgit Creator: si-
mulque adipisceremur veram illarum
cogni-

cognitionem, quantum nobis inter
mortales degentibus ex usu est, partim
Dei, partim nostrum ipsorum gratia;
Breviter, ut Doctrinam naturam solidam
cognitione, sincero amore, prompto
servitio prosequeremur. Si tot tamque
præposteris disputationibus sepositis,
quæ quisquis non intelligit, ea nec lau-
daret, nec culparet, mehercules, longe
majori tranquillitate viveretur hoc
quodcumque est ævi, non sine divinæ
sapientiæ suavissimo gustu. Quæ enim
agnosceremus, quæ nec oculis usurpa-
mus, nec tactu aut gustu deprehendi-
mus? Quæ amaremus, quæ incognita
sunt petitus? Annon summæ necessi-
tatis videtur, frater, Elementorum ge-
nium scrutari, ut naturam discamus,
ut Deum diligamus, cui soli debetur
honor & gloria in omnem æternita-
tem. Hæc igitur boni consule, & se-
dulò pervestiga secreta Naturæ. Ipsa
testis erit, vera hæc esse, quæ scri-
psi: ipsa te docebit & erudiet de
his, quæ sequutura sunt, maximis
mira-

miraculis, ut liquido & quasi in specu-
lo videat Naturam in Elementis; eaq;
omnia in gloriam nostri ser-
vatoris.



CORNELII DREBBELII

Chemici & Mechanici peri-
tissimi,

Tractatus

POSTERIOR,

De

QUINTA ES-

SENTIA.

Editus curâ

JOACHIMI MORSI.

Accedit

Ejusdem Epistola ad sapientissimum
Britanniæ Monarcham

JACOBUM,

DE PERPETUI MOBI-

lis inventione;

D

Cla-

Clariss: viro juveni,
DN. JOACHIMO MOR-
SIO.

S tibi, quod tantâ, Morsi, virtute mereris,
S ponte sua pandat sacros natura recessus:
V t te auti non dura fames, non ardor honorum,
N ec te traxit inops animi in sua castra voluptas,
Q ui sophiam à primis, sic querit sedulus annis,
A eternum manet invitâ vel morte superstes.

Amoris causâ scrib.

PETRVS FINXIVS
Phil & Med. Doctor, Pro-
fessor in inclycâ Ernestinâ
Rintelonij.

PHILOSOPHO AC MEDI-

co excellentissimo,

Dn. HENRICO

NOLLIO, illustris Gymnasii
Steinfurtensis

Doctori & Professori

IOACHIMUS MORSIUS S.

Cum juris publici, Philologiae
& historiarum sacrarum, pro-
fanarum, omnium gentium itu-
dio, Excellentissime Nolle, mire
mihi placuit accuratam Naturae
Medicinaeque Hermeticae cog-
nitionem conjungere. Serius qui-
dem quam par erat, serio tamen,
& ut confido non sine meo ac
publico emolumento. Multum
certe debeo nupero Britannico
meo itineri, nec me suasore ullus

D 2 ad

ad aureum vellus petendum, fa-
mosam Colchidis insulam acce-
det. Cape mei in his literis pro-
fectus specimen primum, DREB-
BELIANUM HOC ERUDITISSIMUM
OPUSCULUM, mittentur ad te intra
menses aliquot, munuscula eius-
dem notæ alia. Etenim

*Nulla meis sine te quæretur gloria rebus,
Seu pacem, seu bella geram, tibi maxima
rerum;*

Verborumq; fides, & nescia fallere vita.

Vale animæ dimidium meæ,
ac ME TOTUM TUUM esse existima,
plurimumq; à me salvere jube ce-
leberrimos collegas tuos, GUI-
NANDUM RUTGERSIUM & CLE-
MENTEM TIMPLERUM. Dab. cele-
riter Lugduni Batavor. An. Chr.
M DC XX, Mens. Mart.

COR.

CORNELI DREBBELII
CHEMICI & MECHANICI
peritissimi,

BREVIS TRACTATUS
DE QUINTA ESSEN-
TIA.

Quinta Essentia est res æter-
na, immutabilis, incombustibi-
bilis, ut cœlum invincibile, perfecta in
omnibus Elementis: Exuberansque
(ferè suprâ fidem) calore, siccitate, fri-
gore, humiditate. Quando enim calo-
re, opus est, eum tribuit, nec (quod ma-
ximè mirum) frigiditatem ipsius ani-
madvertimus; sicuti nec calorem, si
refrigerium desiderantibus adhibeatur.
Cæterum ubi humiditas deficit, eam
ad satietatem largitur, siccitas tamen
eius nulla apparet. Atque ita porro se-
res habet in reliquis Elementorum
qualitatibus. Propterea quoque qua-
rum libet infirmitatum præsens reme-
dium est.

Omnes verò quintæ essentię aquis

D 3 valent

valent, si benè præparatæ: nec refert ex
quâ materia. Fortè jam dices, si in o-
mnibus quintis essentiis isodynamia
est, ad quid prisci eam, quæ ex auro, cæ-
teris prætulere? Respondeo, nihil
quidem esse in terrarum orbe, in quò
tam pura, quam in auro, sit quinta es-
sentia. Aurum enim perfectum est, cas-
ret combustibilitate, & parum, aut ni-
hil secum habet: quamobrem cum
tantummodo eius Q. E. à corpore sine
permanente corrosivorum separatur,
spirituq; vini rectificatur, absolutissi-
ma est, maximeq; penetrabilis. Aliæ
autem Q. E. corporibus liberatæ, ad-
huc multa combustibilitate & confar-
tis obrutæ sunt fecibus, internis, exter-
ni: quæ non nisi summa difficultate
diffuunt: quandoquidem, si ex imper-
fectis & combustilibus perfectissi-
mam Q. Essentiam extrahere cona-
mur, necesse est primum defecare & o-
leum combustibile submovere, quan-
tum fieri potest; deinde figere; postea
calcinatione & solutione omnem
combustibilitatem tollere, & utrasque
feces

feces; quod multum temporis juxta at-
que negotii efflagitat, ut notum iis, qui
experti: Cumque jam sic mundavi-
mus, fixavimus, & in colorem adduxi-
mus, Materia auro, ejusq; Q. Essentia
similis est.

CAPUT II.

JAM verò quæras, qui possibile Q. Es-
sentiam hoc tali vigore præditam,
qualem adscribi? Docebo: si eam im-
mittas in spiritum vini, cui omne fleg-
ma ademptum, ita ut sal (facile alioqui
in humore solubile) in eo non solva-
tur, statim mixturam faciet; idq; ob
exundantem in ipsâ humiditatem. Li-
cet autem aspectu sicca sit, imo sale
magis, nulla tamen hic siccitas appa-
ret. Quod mirum; eò magis quod et-
iam spiritum coagulat in crySTALLINUM
lapidem, fervoremq; ei adimit, licet is,
nec frigore, nec aliâ quapiam re con-
crescat. Unde duo resultant adversa,
alterum est copiosus eius, cum sol-
vitur, humor: alterum frigida, cum
coagulatur, siccitas. Scatens verò ca-

Por illius elucescit, si in aquâ communi
usque ad satietatem solvatur: eo enim
casu, cum vel maximè gelat, etiamsi
frigidissimo loco exponatur, non obri-
gescet unda, quin neq; corrumpetur,
neque malè olebit in perpetuum. Ex
quibus manifestissimè quatuor Ele-
mentorum demonstratur perfectio.
Neq; solum hoc fit in vino & aquâ, sed
in omnibus imperfectis, quibus hoc
tribuit, quod desiderant. Nam si Q.
Essentiæ quantum satis est in salugine
solvatur, recedet hujus siccitas, ita ut
absq; periculo quilibet eam bibat. At-
que adeo si ipsam cum venenosissimâ
aquâ commisceas, momento evanescet
virus, in tantum, ut securè cuiquam
propineretur. Quid si cum aquâ fortis
adhuc idem dicendum est. Sed tum
deixanda est, ita ut cum eâ distilletur:
Nam alioqui aqua fortis calore stoma-
chi prævolaret in cerebrum, & ante-
quam quinta essentia eò ductu naturæ
perveniret, penetrando, corroden-
doque hominem interficeret. Sed quan-
to volatilis est, una ascendit, defen-
dens

dens cerebrum, omnibusq; aquis vene-
nosis id tribuens, quod appetunt: Vel
quoq; aqua fortis cum illa fixari pot-
est; Atque hac demum proprietate ac-
quisitâ perambulat totum corpus sine
læsione, quippe perfecta in omnibus e-
lementis, quorum defectus venenosi-
tatis causa est. Aut enim ignis, aut a-
qua, aut frigus, aut siccitas deficit. Te-
stantur id aquæ fortes, quæ minerali-
um humidi sunt spiritus, deficitque
iis anima & corpus, quibus satiata, vim
corrosivam amittunt. Spiritus aëri &
aquæ adsimulantur, tametsi sine igne
non constant, neque enim aër est sine
igne & aquâ; ac ignis absque aëre mor-
tuus est. Quâ de causâ tria elementa
existunt in aquis fortibus, at aër & a-
qua prædominantur. Probatum id ex
sale: Ubicunque enim illud solvitur,
etiam aqua principatum gerit: & in
quibus aër, aut aër & aqua simul præ-
sunt, in iis invenitur acris penetransq;
sapor, ut in aceto. Sed si ignis & aër
prævaleant, sapor emergit etiam acu-
tior, ferventior, penetrabilior. Quod

D 5

ubi

ubi fit, nullus sal locus, sicut in spiritu
vini probè rectificato: idque ob ferui-
dam, quæ in eo siccitatem. Itaque qui-
cunque spiritus & molli & flaccido sa-
pore sunt, & sal imbibunt, aquam do-
minam habent, Acres verò, & sal sol-
ventes, aërem & aquam: feculenti
autem & penetrabiles, nec sal admit-
tentes, ignem & aërem. Ex his propriis
natura & potestas spirituum, causaque
imperfectiois eorum innotescit. Ve-
rum cum Q. E. omnibus Elementis
ex æquo scateat, etiam spiritus & cor-
pora suis numeris absoluit, quibuscun-
que tandem vitiis laborent, modo
cum ipsis uniat. Quod autem hac
proprietae caret, procul à Quinta Es-
sentia abest. Sed coadunitio horribi-
le secretum est, eoq; paucis cognitum:
Donum Dei, itaque non decet me id
clarius scribere, solummodo conten-
tum illud exemplo Jesu Christi de-
monstrasse, qui inter Deum & nos
Mediator, suâ in hominem transfor-
matione noscum Deo univit in sem-
piternam & immortalem perfectio-
nem.

nem, O absoluta sapientia! quam incomprehensibilia tua miracula, & consolationis plenæ tuæ figuræ, quas in omnibus in testimonium vitæ æternæ, verbique tui venerationem nobis, quasi digito ostendis.

CAPUT III.

Satis jam superque virtutem & proprietatem Quintæ Essentiæ enarravimus, simulque naturam ac defectum spirituum, etiam causam imperfectionis corporum; tum quomodo hæc uniantur, & acquirant potestatem alia porro perficiendi. Mortuo enim & postea defecato corpore, rursusque unito cum spiritu & animâ puris, spiritus utrumque sursum rapit, ita ut paulatim hæc omnia æquipolleanit: Anima & corpus naturam spiritus, ille vicissim corporis & animæ consequitur. Quo facto sic copulantur, ut nulla unquam via separationem admittant. Spiritus facile figitur, id est, in naturam corporis abit: nam corporeum spiritualitatem induit, spiri-
tua-

quale vero corporeitatem. Unde iure
corpus glorificarum appellatur, quia
quælibet imperfecta corpora, in quæ
infunditur & penetrat, perficit. Ete-
nim hoc unum est ex maximis arcanis
quæ misericors ille Deus nobis hic pa-
tescit in salutis nostræ confirmatio-
nem, & gloriam absolutissimi amoris
in nos per filium suum Jesum Chri-
stum collati. Quis non obstupescat,
cum mortem & resurrectionem in o-
mnibus deprehendat? O infinita sa-
pientia! quis te satis dignis laudibus e-
vehat?

Nunc ad praxin transimus, quam-
vis eam supra levi brachio perstrinxi-
mus. Philosophi non semper de eadem
re loquuti fuerunt, quando quintæ es-
sentia mentionem fecere: Non: Multi
enim fugacem illum spiritum, qui in
omnibus reperitur, hoc nomine appel-
larunt, simulac eum ex elementis sepa-
rârunt. Plerique etiam philosophice
alienum indigetant: Quin nisi hic
spiritus abigatur, nihil occidit aut in
elementa reducitur; namq; est, ut Phi-
loso-

Iosophi adserunt, adstrigmentum eorum, & creatorum vita: At non talis quinta essentia, quæ omnibus morbis medetur, ferè similis est virtute illis, ex quibus extractus, excepto, quod semper sic Mercurialis. Etenim Spiritus hic è stipticis sistit fluxum, ex papavere somnum provocat: atque ita de cæteris judicandum. Sed à nonnullis quinta essentia dicitur, & elementorum vita; Cum, quia cuncta, hoc spiritu (qui quiddam est supra elementa) privata, mortua sunt: Tum etiã, quod quatuor elementa rediviva & individue in eo habitent: Sed subindè ignis, aer & aqua, subindè ignis & aer prævalent, atque terra in intimo sinu latet; quæ si industriã cujusquam ad actum perveniat, deque humiditate aquæ triumphet, sicut ignis & terra foras simul in conspectum prodeant, in veram quintam essentiam transit, omnesque debilitates tollit. Initio enim aqua dominata est in exterioribus. Etsi autem aliqui spiritus sicci videantur prima fronte, in principio tamen aqua
sue

fuerunt, Elementorumque motu mu-
tati sunt. Cæterum arte etiam nobis
induenda est aqua virtute aeris, humor-
que transferendus in crytallum, sic-
cum, volatile, pellucidum. Deinceps a-
er melior reddendus efficacia terræ; hæc
vicissim absolutò calore & potestate i-
gnis exornanda. Atque hoc modo ma-
teria omnibus Elementorum viribus
multiplicanda est, & supra ea esse debet;
si morbos eorum fugatura sit.

CAPUT IV.

REVELabitur hic secretum à Phi-
losophis, præ reliquis recondi-
tum. Efficacia enim hujus Spiritus
(quod sciam) ante hæc à nemine tra-
dita; & rectè illum ignem vitamque
rerum dixeris, aut Mercurium Phi-
losophorum, sive humidum radicale, re
ipsa ignis, hoc est, elementorum vitæ
domicilium. Quæcunque perficere su-
stinemus, ad hanc formam reducenda.
Nec obstat, quod hic spiritus in omni-
bus elementis, plus, minus habitet: nam
ele-

elementa, à Deo semel conjuncta, (re-
stantibus id uno ore Philosophis) in-
totum disparari nequeunt, semper ali-
quatenus permixta manent. Humi-
dum autem hoc radicale, ita elemen-
tis adhæret, atque adeo exsiccatum est,
ut nihil sinceri absque additione hu-
moris ex eo fiat: Est enim illorum o-
dor, sapor, color: Et quo magis exco-
quuntur, eo magis odorem, saporem
& humiditatem amittunt. Hic verò
spiritus, quo plus philosophicè coqui-
tur, hoc plus humiditatis, in eo super-
flua, exarescit, & melior, meliorque e-
vadit, quandoquidem perfectioni ap-
propinquat: Ideoque apud Philoso-
phos ante alia sicca Elementa tantis
laudibus extollitur. Verum si rectè
cum nominemus, nihil est, nisi aqua
elementalis, ignem, aërem & terram
occulte continens. Ignis in aëre, aër
& terra in aquâ resident. Calor ignis
terræ frigiditatem superat, humidita-
temque vivam & liquefactam conser-
vat, ita ut nullum frigus illam conge-
let; quod patet in spiritu vini. Jam
hu-

humor aquæ impedit quo minus siccitate ignis & aeris inarescat : Et sic deinceps. Nam & omnia Elementa in naturam & formam hujus Spiritus mutantur. Liquet ergo elementa illi perfectè inesse, sed in aqua cohabitant, quàm philosophi, ut supra, devincunt vitâ elementorum, hoc est, igne, atque ita igne philosophico adjuvant, ut reliqua omnia superet. Tunc autem est absolutè pura Quinta Essentia, rubra instar rubini, immutabilis atque incombustibilis. Itaque perscrutare naturam, docebit te nosse Deum, creatorem nostrum, bonitatemque eius & potentiam ostendet, magis quàm quicquam in terrâ: Unde Opt. Max. sit laus in secula seculorum, Amen.

CAPUT V. Q. E. ☉

FIAT aqua fortis ex vitriolo & salenitro, in eam immitte tantum salis cõmunis præparati, quantum capit. Deinde auro foliato saturetur, donec tres quatuorve dies in tepore retenta, nihil amplius combibat, sed in fundo
ali.

aliquid non solutum, aut in calces re-
ductum, relinquat. Postea bene rectifi-
catam vini Q. Essentiam vulgarem af-
funde. Impone fornaci calenti, & auri
Q. E. sive tinctura, cum spiritu vini,
flegmate liberato, supernatabit; rubra
instar sanguinis. Jam defiltra; affusio-
nem itera, dum rectificata aqua nul-
lam amplius tincturam educat. Tum
colorem sicca, & solvendo coagulan-
doque ablue aqua munda, donec aquæ
fortis acrimonia evanescat. De hinc
justa proportione hauriatur à spiritu,
cui ne gutta quidem aqueæ humiditatis
putrescat Philosophice; ita ut ambo
ascendant, atque habebis Q. Essentiam
auri, beneficio spiritus vini, ad miracu-
lum usque omnes morbos sanantem,
præditamque quibuscunque ante dictis
proprietatibus: Tinctura enim ani-
mam, spiritus vini, corpus & spiritum
repræsentat: nec ullis unquam mediis
divelli possunt. Ergo perfecta quinta
essentia, atque sine spiritu non esset quin-
ta essentia, & vel minima eius dosis ho-
minem necaret: ut in præcedentibus
E dictum.

dictum. Sed si sublimando tincturā auri, transitum illi ad corpus facias, dein rubifices, & in aqua cōmuni solvas, inuenies verā Q. E. absq; additione. Aut etiā compendiosius fit, si nimirū corpori auri, evaporatione ab aqua forti liberato, sal abluas, mox reverberes, sicut & spiritū, sive tincturā, donec in aqua cōmuni solvatur, tumq; simul figas. Atq; hæc est perfectissima & subtilissima via.

CAPUT VI.

De Quinta Essentia Metall. & Mineral:

Solve metallum aut minerale tuum sine jacturā aliquorum spirituum in aceto distillato: lente coaguletur in loco tepido, vel distilla, donec cuticulam superinduat, aut tanquam oleum incrassescat. Post deinde in subfrigidā cellā in crystallum redeat: evapora humiditatem; rursusq; crystallum fiat, dum tandem omnis humor sit concretus. Jam exsicca lapillos in hypocausto, ac denuo solve & crystalliniza, ut mundior rem habeas naturam; quo peracto digeratur

ratur ad nigredinem. Cum spiritu re-
ctificato tincturam educ, sciteq; defe-
ca; iterum digeratur, quousque simul a-
scendant: Et erit tibi Q. E. metallorum
& mineralium, valens adversus quod-
cunq; vitium. Aut etiam corpus mun-
dare licet, puroq; spiritu figere, quemad-
modum de auro dictum est.

CAPUT VII.

De Quinta Essentia vegeta- bilium.

EX omnibus, grato odore præditis
herbis, spiritum distillabis, eumque
aquoitate exues. Subtiles autem spi-
ritus præcedent, & sicuti vini spiritus,
non guttatim, sed radiolis quampluri-
bus in galeam decidunt: qui cum ces-
sant, stillæ quædam, aut nubeculæ a-
queæ sequuntur, aut nubeculæ aqueæ
sequuntur, & indicio sunt spiritum
transiisse. Itaque deme receptacu-
lum, & fecibus aut materia, in fun-
do cucurbitæ residua, tincturam ex-
trahe, & solvendo coagulandoque per-
puram redde: dehinc spiritum eâ in
tantum reple, ut nihil amplius capiat

E 2 ascen-

ascendant, descendant, donec simul
transvolent. Id ubi factum, habes per-
fectam Quintam Essentiam. Sed si in-
odoratae fuerint herbae, solves eas in a-
qua distillata, aut distillando siccas
facies, suamque ipsarum aquam affun-
des, addendo tantum aquae communis
distillatae, quantum satis videbitur.
Tum solvendo, coagulando, a fecibus
liberabis; postea in rectificata tua a-
qua, iusta proportione solve, & ut con-
iunctim sursum tendendo in aquam
rubeam, instar sanguinis, abeant, cus-
rabis. Et si forte plus solvere cupiant, sa-
turabis tua tinctura, ut ante. Poteris et-
iam corpus figere.

CAPUT VIII.

De Quinta Essentia animalium.

SINE bulliat caro in cucurbitula,
cujus orificio levigata scandula
quadret. Tres dies naturales subsidat,
munda per filtrum, & in balneo coa-
gula; hinc purifica claro ovi albumi-
ne, & procede, ut in vegetabili. Habes
jam, Amice Lector, varios absolutae
Medi-

Medicinæ, sive Quintæ Essentiæ effici-
endæ modos; Spero, plane & plenè ca-
pies, si attente legas. Multa hîc arca-
na leviter tango, sed hoc tantum: ne
mali & perversi homines iis, in con-
temptum Dei, abutantur. Vale &
Naturæ motum inve-
stiga.

FINIS.



E 3

PE.



PETRUS SEVERINUS

In

Idea Medicinæ Philosophicæ cap. 15.
pag 405. edit. meæ Erfurt.

INfœlices mortales, inutilibus quæstioni-
bus & disputationibus vitam traduci-
mus. Natura præcipuos thesauros in qui-
bus gravissimorum morborum medicina,
ab altissimo collocata sunt, intactos relin-
quimus. Nec ipsi solum relinquimus, sed
alios inquirere volentes, prohibemus, im-
pedimus, condemnamus & mille ludibriis
afficimus. a vorumq; fidelem veritatem,
& divinam scientiam stultè irridemus.

CORNELII DREBBELII

Chemici & Mechanici peritissimi,

EPISTOLA

Ad

Sapientissimum Britannię Monarcham

JACOBUM,

DE PERPETUI MOBILIS

lis inventione.

Editus curâ

JOACHIMI MORSI.

Omnia mors mordet, vis temporis omnia
solutus,

Doctrina aut solida stat sine fine decus.

Hinc si quis Musas parvo contentus amavit,

Ille vel inuita morte superstes agit.

Hoc quia solerti perpendis pectore **MORSI**,

Te voveo nostra, et postuma secula legent.

Scripti L. M. Q. viro doctrinae
priscae et disciplinarum digni-
orum maxime studioso, Dn.
JOACHIMO MORSIO Pa-
tricio Hamburgenti.

AMBROSIVS DE
BRUYNBELGA
Vestmonasterij Ian. ult.
M DC XX.



THEOSOPHO

eximio,

Dn. DANIELI

AULIERDEN

JOACHIMUS MOR-

SIVS

S. P. D.

SÆpissimè in memoriam re-
deco congressus nostri suavif-
simi, in sacro tuo secessu eremiti-
co, ante Britannicam meam pro-
fectionem de mysteriarchâ omni-
um seculorum commendatio-
ne dignissimo, CORNELIO DREB-
BELIO. Eius *Tractatum insignem*
de quintâ essentiâ, ab optimo &
rarissimæ eruditionis J. C. ISE-
BRANDO RIETVYCK Alc-
E S maria

011
mariâ ad me directum, his die-
bus in communem usum cultor-
um sincerioris chemiæ produ-
xi. Audaciæ huius honestæ, vel
potius confidentiæ amoris, au-
tor præclare de me meritus, qui
hactenus nihil mihi unquam de-
negavit, veniam quoq; haud dif-
ficulter concedet. Editioni au-
tem huic cum adjungere consti-
tuerim ejusdem præfati nostri
DREBELI præstantissimi, Episto-
lam ad sapientissimum Angliæ,
Scotiæ, Hyberniciæ & Franciæ Re-
gem J A C O B U M, de perpetui mo-
bilis inventionis scriptam, mihi à
sagaci & industrio naturæ inda-
gatore, J O A N N E U N G A R O
H U N N I A D I N O, familiari meo
carissimo, Londini oblatam,
tibi eam dicare mihi visum.
Nam:

Heic

Heic ego centenas ausim deponere voces,
Ut quantum mihi te sinuoso in pectore
fixi,

Voce traham pura, totumq; hoc verba re-
signent,

Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Non equidem hoc dubites, amborum fæ-
dere certa

Consentire dies, & ab uno sidere duci.
Tecum etenim longos opto consumere so-
les,

Et tecum primas epulis decerpere noctes,
Unum opus & requiem pariter disponere
eandem,

Atq; verecunda dissolvere seria mensa!

Vale FELICITER decus patriæ tuæ
Dab. subito Lugd. Bat. A. C.
M. DC. XX. Mens. Mart.

Pera

Percepta ex inquisitione naturæ Elementorum, voluptas, *Serenissime Rex*, sola me impulit ut ad Majestatem tuam scriberem. Multa enim & amæna & incredibilia admiranda vidi, ad cognoscendum Deum, ex operibus suis perquam utilia. An non hæc omnia omnipotente & divinâ sapientiâ in gloriam suam, & usum nostrum condidit? Nam quid nos magis moveat ad creatorem nostrum cognoscendum, amandum, colendum, quam vera illa rerum scientia? in quibus quasi digito suam prudentiam, bonitatem & potentiam demonstrat? Gratiam debemus pro sacris literis quam maximam, eæque summo in honore semper habendæ. Sed vix minorem pro eo, quod divina illa natura tanquam ipse Deus, sine fide ostendit. Discimus enim ex multiplici & diversâ rerum naturâ, simplicitatem Dei, eamq; variis modis laudare. Quare nisi intelligamus quod videmus, audimus, sentimus, quomodo Deum cognosce-

gnosceremus, amabimus aut colemus;
quem neque videmus, neque audimus,
nisi vera rerum cognitione. Unde con-
cludimus Optimi Maximi voluntatem
esse, atq; e re nostrâ, quid sit natura re-
rum percipere, ut tam Deum nostrum,
quàm nosmet ipsos discamus nosse.

Quocirca, ô Rex, cum antè aliquot
annos proposuissem causas rerum dili-
genter perscrutari, ut donâ in nos divi-
nitus collata rectè cognosceremus, de-
scendi in humanam naturam, ubi in
me id ipsum inveni, quod olim in aliis
vituperaveram aut probaveram. In-
spectis autem & cognitis stultâ & inex-
ercitatâ nostrâ voluntate, cœco &
spontaneo errore, lætâ & mœstâ vitâ
atque tristi morte, animadverti dissi-
dentis voluntatis, iudicii, commercii
hominum, causam esse solam animi
ruditatem sive inscitiam: Sed perspici-
ens virtutem divinorum donorum,
quæ nobis creator noster largitus est;
& qui Deus, ut pater naturæ, in omni-
bus suis actis naturali sapientiâ utitur,
ingenti gaudio mihi animus affectus
est.

est. Quapropter institui primi mo-
bilis indagare naturam: illud esse exi-
stimans principium operum Dei, eoq;
introitum ad veram naturæ cognitio-
nem patere, At quamvis diu hinc maxi-
ma diligentia usus sum, nihil tamen
omnino huic scientiæ idoneum reppe-
ri. Itaque dulcem hujus inventionis
spem amisi. Nempe omnium rerum
naturam impossibilitatem propositi mei
clamabat. Deinde vero considerans
quomodo omnia ex elementis fiant,
nutriantur & sustententur, quomodo-
que ex iis nobis ostendatur æternitas
& immortalitas Dei, infinita altitudo
& profunditas, læta lux & tristes tene-
bræ, cæteraq; hujus terrarum orbis mi-
racula, operæ pretium me facturum
putavi, si eorum naturam investiga-
rem, in quo negotio tempus haud inu-
tiliter trivi. Brevi enim animadverti
hanc esse januam ad veram rerum in-
telligentiam. Idcirco singulari dili-
gentiâ aquam primo aggressus sum, eo
animo, ut per varia vascula & fistulas,
miris modis inflexas, illam docerem
sua

sua sponte sursum tendere. Sed frustra
hic quoq; fui. Nam ne unguem qui-
dem latum ascendebat; verum ut na-
tura ejus est, semper deorsum fereba-
tur. Nihilominus tamen diversis &
egregios fonticulos feci, qui aliis atque
aliis modis, ratione descensus suæ aque,
quam continebant; radiolos aqueos
ad tempus eiacularantur in altitudi-
nem viginti, aut etiam plurium pe-
dum. At hic motus subito, nisi rursus
cadentibus undis vivificaretur, evane-
scebat. Quamobrem mellea, quam
conceperam, iterum me spes reliquit:
eoque inductus sum, ut plenissimè cre-
derem, causam primi mobilis hominī
omnino imperscrutabilem. Postea
verò solerti indagine quærens abditam
illam causam, quæ aquam semper de-
orsum urgeret, tandem eam deprehen-
di in observatione admirandæ ignis
naturæ. Quare, serenissime Rex, non
parum lætabar, quippè tum demum
atsequebar quid me eousque in errorem
impulisset, quæ causa esset primi mo-
bilis, quomodo cælum, stellæ, plane-
tæ;

væ, aqua, terra, moverentur: & quâ ra-
tione terra in medio aëris portaretur,
aqua instar circuli terram ambiret, at-
que omnia centrum peterent, excepto
igne. Et contra quomodo sol, luna,
cunctaque sydera in cælis penderent,
sicut etiam originem pluviarum, ven-
torum, tonitruum, fulminis, fluxus, res-
fluxus, denique quo pacto singula alan-
tur & alterentur.

Nisi hæc, O Rex, tam vivis instru-
mentis, quam argumentis demonstra-
re possem, nunquam tantum de iis
scripsissem. Neq; enim ignoro omni-
bus ingeniis, etiam acutissimis, incre-
dibile videri hæc mysteria industriâ
nostrâ comprehendî posse. Ergo ut
certum faciam me cognitam habere
primi mobilis causam, possum con-
struere globum perpetuo secundum
cursum ætheris singulis viginti quatu-
or horis semel circum rotabilem, aut
toties amplius, quoties mihi visum fu-
erit. Ita ut vel mille annis ne semel
fallat, ostendentem nobis annos, men-
ses, dies, horas, cursum solis, lunæ, o-
mnium

nium planetarum & stellarum, quarum
motus hominibus notus; sicut etiam
varii generis instrumenta, quæ certo tē-
pore, aut etiam continuum cōcentum
harmonicum edant, in summa quicquid
fieri potest pondere, circumvoluto cha-
libe, aqua fluente & igne, præstat hæc
cognitio in perpetuum, sed soli sumptus
reddunt minus fructuosam, si magna
vis requiratur. Cæterum ut magis con-
firmem me intelligere causam motus
rerum sursum & deorsum, & quid terrā
& aquam in medio aëris portet, ita in
vitro clauso terram in medio aquæ, a-
quam in medio aëris, atq; aërem in me-
dio ignis suspendo, ut unum elementū
aliud ambiar velut circulus alius, aliū:
aut è diverso statuo aërem in medio a-
quæ instar globi, & aquam in medio ter-
ræ, ita invicem se amplectentes, ut aër
hunc terrarum orbem. Atq; hoc modo
altum humile, humile altū, leve grave,
grave leve facio. Præterea aquā stantem
sursum impello in altitudinem decem,
viginti, aut plurium pedum. Et quoniā
causam venti compertam habeo, con-
F struo

struo machinas vehementer flātes. Atq;
cognitione fluxus & refluxus efficio in-
strumentum semper fluens & refluens
singulis 24. horis bis: ostendens menses
eorumq; dies, cursum lunæ & horas, flu-
xus & refluxus in perpetuum. Quemad-
modū Majestas tua ex præsentī hoc in-
strumento videre, & quando lubet ve-
ritatem mei scripti examinare potest.
Illud est propago vel furculus arboris p-
petui mobilis, insitus verę cognitioni e-
lementorū, scopus rerū indagatoribus
serviturus ad sempiternam memoriam,
ut intelligant naturę mirabilitatem, &
quid eius dono possimus. Paratus sum
etiā reliquas demōstrationes ostendere,
spērās me eo factō gratam dulcedinem,
q̄ ex abditis rerū causis percipitur, mul-
tis præbiturum. Experientia enim me
docet nullam voluptatem veræ naturæ
cognitioni æquiparandā, quoniā mon-
strat nobis perfectam Dei bonitatē, sa-
pientiam, potentiā. Multi ante me ad-
mirāda jactitarunt, probationem pro-
ponentes inauditis vocabulis, & absur-
dis processibus. Non inscii credo, si nuda
ratio-

ratione rem gereret, omnes notam ha-
bituros eorum dementiam, & sic amif-
sum iri magni nominis fama. Quam-
obrem ego non modo rationibus & exa-
emplis utar, verum etiam exempla ad
veritatem examinabo. Et primo narra-
bo causam ignis, deinde naturam eius
& operationem: postea proprietatem
caeterorum elementorum: & porro quid
sit frigus, quæ sit causa primi mobilis,
quæ sit causa solis, quomodo movean-
tur cælum, stellæ, luna, mare & terra,
deniq; quæ sit causa fluxus & refluxus,
tonitruum, fulguris, pluviarum, venti &
quopacto cuncta crescant & multipli-
centur, aliis hoc modo viam common-
straturus, quam ego post diversos erro-
res inveni, ut parvo negotio mirabilio-
ra in lucem proferant. Nam (Deum re-
stor) neq; veterum scriptis, neq; cuius-
quam auxilio hic usus sum, sed solum
modo hæc reperi assiduâ observatione
& perscrutatione elementorum. Neq;
etiam testimonia habemus priscos ho-
mines hanc scientiâ consequutos fuisse,
licet multi eam quæsierint. Scribunt

Archimedem globum construxisse, qui
perpetuò secundum cursum ætheris se
se moveret, sed eundem, una cū aucto-
ctore, uno die detestabili bello absum-
ptū; unde & veritatis indicatiū perditum.
Exitant nonnulli processus de perpetuò
mobili, sed meræ nugæ, quæ multos se-
ducūt, nullos in optatum portum diri-
gunt. Si processus veri essent, veteres il-
lud composuissent, & nobis memoriam
eius quantulamcunq; reliquissent. Qua
pppter omnes huius artis amatores ad-
monebo, & meliorem viam mōstrabo:
obsecrans Deum ut cunctos Reges, prin-
cipes & Magistratus clementi sapientiā
illuminet, quo omnes homines, serenif-
sime Rex, ut nos tui subditi, aureā divinæ
pacis dulcedine fruantur: cuius benefi-
cium (maximum à sapientissimo rege
optandū) maiestate tuā possidēs, nescio
quam gratitudinem rependam, præser-
tim cum reputo plerosq; reges cæca cu-
pidine seduci, quærentes sanguinolento
Marte regni incrementa, neq; cogitātes
quā impossibile hæc sit adipisci sine
maiore detrimento, & destructione fide-
lium

lium subiectorum, qui ob id de bonis, vi-
tâ, sanguine, periclitantur. Quis aliquo
ingenio præditus vitam suam perituri
bonis comparet? Unde satis intelli-
mus fructus abominandi belli, & sapi-
entiâ paci addictorum regum: qui bonis
legibus maleficia avertere, malum justè
punire student, animo volvètes justitiâ
non esse pœnam crimine graviolem in-
iungere, sed potius leni misericordiâ le-
viorè reddere, ut omnes regentiû per-
gratos fructus, degustent, & loco furiosi
Mavortis se se recreent amœna artium
voluptate, in quem finem hunc meum
laborem ad introductionè incepti. Sec-
quia neq; Latinè, neq; Anglicè mètem
meam satis exprimere possum, hæc Bel-
gicè, scripsi & in Romanam linguam
verbotenus transferri curavi, ut & inte-
ger sensus Maiestati tuæ servetur, & na-
turæ mirabilitas interdû delectet. Spero
illam hâc meam affectionem clemen-
tissimo animo recepturam diuq; inco-
lumem & pacificè, sub protectione
omnipotentis dexteræ vi-
cturam.

LECTOR BENEVOLE,

SIconatus meos literarios, tua in spem
gratia susceptos, favore tuo non indi-
gnos judicabis, promitto tibi propediem
in hac arte chemica, Joannis Haaci Hol-
landi, Basilii Valētini, Rogerii Baccho-
nis, Guidonis Magni, & aliorū probatissi-
morum, haētenus ab invidis suppressorum
philosophorum inedita opera. Noli itaque
innocentis famam maledictis lacerare, sed
potius meo exēplo adhortatus nullis obesse,
cunctis prodesse studens, desiste maligno li-
vore repertis incubare thesauris, at eos ad
Dei omnipotentis gloriam & proximi uti-
litatem, quā liberalissimē gratā posteri-
tati distribue. Nil rerū natura parens bo-
num quod non simul quoq; commune crea-
vit. Sol oculus mundi omnibus radios suos
indulget Luna innumerabilibus comitata
sideribus de nocte fraterni dispēdia lumi-
nis suo candore reparans, etiam feras ad
pabula ducit. Quid a quis dici formosius
potest, in publicum tamen manant? Salus
me ergo amor nostrae Divae furtum potius,
qui in premium erit. Vale quisquis es ex
voto, &

Aeternitatem cogita.

omni Symbolum

Generosissimi Baronis Poloni,
MARTIANI GORASCHII.

Mihi gratia Dei Gloriosi, sola suf-
ficit in æternum.

Unum omnia clamant.

Deo omni faciente duce,

Comite Natura, via experientia, patet
facilis aditus ad arcem veritatis
& mirabilitatis.

H Abita umbra solis, misce illam, cum
igne & aqua, tali adhibita proportio-
ne, ut actus ignis sentiatur & Aqua opera-
tio videatur, per qua umbra solis, clarita-
tem Luna nanciscetur & tandem successu
temporis, ad splendorem solis perveniet &
hæc est vera Ales Hermetis, carens plumis,
& omnia tamen velociter pervolans, de
qua tot parabola, tot figura, tot libri.

Reuchlinus de verbo mirifico lib. 3.
in fine.

En habes; Tene, audistin? Tace
Tace, &c.

F 4

Nihil

Nihil sapientiæ odiosius nimio
acumine

*Qui novit generationes metallorum, no-
vit etiam eorum emendationes ac
transmutatio-
nes.*

Morienes Romanus.

PRæponit Dominus ex suis servis,
quos vult, & eligit, ut hanc scien-
tiam divinam, homini celatam quæ-
rant, & quæsitam secum retineant. Hęc
enim scientia est, quæ dominum suum
abstrahit ab huius mundi miseria & ad
sciētiam bonorum futurorum reducit:

In te signa mei, MORSI, dum poscis amoris.

En tibi non auri gazas, at terna relinquo

Inquirenda sophis paradoxa, mihi agnita vera,

Ter sex annorum multis erroribus usu:

NIL FIXUM fieri poterit, natura nisi ipsa

Fixarit: nec quid tingi, nisi tinxerit: UNA

RES UNO coquatur, geminis sed vasibus, IGNE.

Politissimo Genio, ingenio virtute et doctri-

na clarissimo Dn. IOACHIMO MORSIO Hambur-
go-Saxoni, veræ sapientiæ indagatori stren-
uo, in sui memoriam, nec non mutæ amicitie tesseram reli-
quit MICHAEL MAIERVS Holsatus Comes Palat-
Medic. Doctor, Rudolphi quondam Imperatoris &
diversorum Principum Archiater, &c.

Magdeb, 13. Octob. A. C. 1620

JOACHIMUS MOR-
SIUS

ANAGRAMMA.

Abjeet. h. tanquam non lit.

Scio Moisis aurum.

Cur adeo mirè potuit dissolvere Moses

Aurum, cur gelidis miscuit illud aquis?

In promptu causa est: rerum discrimina scivit:

Menstruum & ex uno corpore dulce habuit,

Respice mi MORSI, dicam: scio Moisis aurum

Solvere; sic dices tuq; aliquando; scio.

Hadrianus à Munsicht Philosoph. & Medic. Doctor,
P. L. C. & illustrissimorum Brunsvvicensium
ac Lunaburgensium, & inferioris Saxoniz du-
cum Consiliarius & Archiater.

Idem ad eundem,

De mysterio Lapidis Philosophici,

Una est materies, res una, ac unica solvens

Dicitur, ingenium nobilitatis opus:

*Non duo, sed duo bis, faciunt pro tempore sa-
xum:*

Quattuor in unum concelebrando solum

Rerum elementa scias: rerum discrimina nosc as,

Conjunga: q; simul quæq; fuere duo.

F 5

Ex

*Ex illis unum. Vera est conjunctio: SANGUIS
Ut repetam LACTI jungitur. O nimum!
Inde ecquid videas? CORVUM. quid & inde
COLORES:
Sed varios, tandem rubificetur opus.
Augmentare juvat: factum per prima recurrat;
Si fueris cecus, perpetuo Argus eris.*

TOTUM OPUS PHILO- sophicum.

*Mirum dico tribus constat, quod bis elementis
Novi hominis membrum; ex Petro unum, ex Mo-
se secundum,
Adde elementum; materia est benedicta sopho-
rum.*

*Papa saturninus, Rex summus, caesar in aula
Mira movet mundi, monstrum mirabile mundi,
Ex hac subtili sphaera cum sanguine sume
Nobile lac, simile est de monte micantibus agnis.
Hec conjunge. caput si contemplarier optas
CORVINUM, & caudam pavonis more ro-
tundum.*

*Consule Vulcanum: Rex Regum nascitur inde
Septem qui superat divinitus arte planetas.
Rex fermentandus, mox, mox, imitare Ra-
mundus*

Cam-

*Campanam, prima est, nosti formare secundam.
Augmentare suo fas est thymiamete Regem.*

*Lac Sanguis, Princeps, rursus iunguntur in a-
la,*

Infinita loquor, res infinita Deu: q₃.

Desuare nefas, lapidem insinere potestas.

I. G. J. U. D. & Reverendissi-
mi Archiepiscopi Colo-
niensis consilarii,

de L. P. requisita

Auctor arcæ apertæ arcani artifi-
ciosissimi, quæ Francofurti prodit.

ad V. Cl I. MORSIUM
Distichon.

*Punctum Fons, ignis, vitrum, d. solve sigillum,
Pondus, Rex, iungas, multiplicare, color.*

AD EUNDEM.

*In gremio latitant Natura, Arcana sophorum,
O pto fruatur, qui benè solvit eam.*

*Accipe, quo genitum est, terra penetrabilibus aurū,
C haos instar erunt, femina virg₃, ubi.*

Hos conjunge simul, nudatos veste, nuentes:

I nde resultabunt perpetu latices.

Mens hominum variis intentæ est rebus, at una,

V no fonte (Rebis) res oriens satis est.

Si liquor extractus fixo de corpore purus,

M ercurium sorbens sulphur at astra meat.

O mors

*O mors cunctarum rerum, lux, vita, propago,
R estuis vitam, quam prius abstuleras,
Solvīs quod fixum, purgas à phlegmate serum:
I n te, ceu Phoenix, omne novatur opus.
Vive diu, MORSI, moriens tibi, quere metalla
S olvere, tum vitæ fons genuinus adest.*

*amicitiæ desideratissimæ ergo
deproperabat*

*GERHARDUS CULMAN-
NUS junior, Ecclesia-
stes Rensburgensis.*

E I D E M.

*Nil rerum natura sibi dedit, omne creavit
Commune, hoc Horus Lunaq; & unda probant.
Qui lucem & noctem in nature indagine ponis,
An non tu MORSI, docte probabis idem?
Imò probas quia præclaris sat inantè libellis
Monstrasti ingenii vimq; fidemq; tui.
Qua tamen in pluteis vel adhuc tibi plurima ser-
vas,*

*Hec etiam publicis ede si uenda typis.
Ede, & Philosophicis critica adde, politica sacris,
Juridica Historicis, Chemica Mechanicis.
Ede, tui memorem se spondet vesper & ortus, |
Et quæ non mundus, conferet ipse Deus.*

Eidem

E I D E M.

*Nosse Deum, & naturā, & se, qui percipit ipsum,
Quod queat in terris querere, dives habet.
Hanc Trigam ratio discendam vera requirit,
Hanc nobis almus precipit ipse Deus.
Hac te solertem, Mosi clarissime, quisquis
Mordet, eum Ips mentis mordeat usq; rudis.
Tu perge in lucem bonā mittere scripta. Bonorum
Te passim nostra & postera secla canent.*

E I D E M.

*Doctrinae patriis qui praefers laetitia gazis,
Quis non te, Mosi, si sapit intus, amet?
Naturam rerum scrutari perge parentem,
Perge dare & Charisin commoda & Aonifino
Hoc est nosse Deum, hoc Areten ornare p̄ artem,
Hoc est patricium perpetuare decus.
His tribus ante alios, quia Te cupis esse politum,
Ecquis erit, verum qui neget esse virum?*

PAULUS BLOCIVS Rector
Scholæ Lunæburgensis,
Scrib. 3. April.

Anno Dominico:

qVæ sVrsVM, qVerere DIsCe.

Aliud.

ALIVD.

GEORGII HENRICI BERKENBUSCHII
P. L. C. SS. LL. Candidati.

*Haud opus ut questus sapientia vera profundat,
Umbris se tegier, splendida quippe viget.*

*Hanc Regis Regum sed quum generare timorem
Constet, in hac sedem Theosophia tenet*

*Alius certe, tu, vir clarissime, agalma,
Philosophia in te, Theosophia viget.*

Script: Hildesiae.

EADĒM VIA AD DEUM REDEUNDUM
QUA DEUS AD NOS VENIT.


Vita ventus, mors portus, patria
caelum.

*Cum antiquis moribus, legibus, consuetu-
dinibus, Ceremoniis,*

ANTIQUA nobis perit
FELICITAS.

*Qui novit VNUM, novit OMNIA:
Qui discit MULTA, discit NIHIL:
Cor sapientiae constantia.*






24 20 45^a

II

1007

M



Farbkarte #13

B.I.G.



ELI DREBBELI, Rau 3
 & MECHANICI SUMMI, 134
 STATUS DUO:
 PRIOR
NATURA
 MENTORUM,
 venti, pluviae, fulgura, to-
 producantur, & quibus ser-
 viant usibus.
 POSTERIOR
VINTA ES-
SENTIA,
 usu, & quomodo ea ex mine-
 ralis, vegetabilibus & animalis
 bus extrahenda.
Editi cura
 CHIMI MORSI.
Accedit
Stola ad sapientissimum Britanniae
Monarcham Iacobum,
 RPETVI MOBILIS
 inventione.
 HAMBURGI,
 HENRICI CARSTENS,
 M. DC. XXI.

